



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 157. An sit usura cedere alteri contractum usurarium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

**916** §. 7. *Salas, Castrop.* suprà aliquæ apud Steph. n.  
116. rectè dicunt probabile esse, quòd mutuans  
si præscivit valorem etiam mercium esse minu-  
endum, possit pacisci, ut ea quantitas mercium  
reddatur, quæ valore par sit mercibus mutuatis,  
quia nil petit supra sortem, hinc potest pacisci,  
ut reddantur plures mensuræ tritici postea mi-  
nùs valituri, sicuti enim posset vendere pretio  
nunc currente, sic potest mutuare secundùm va-  
lorem nunc præsentem, ita *Leff. Lug. Pirh. n. 55.*  
In eo tamen casu, si valor cresceret, deberet con-  
sequenter pauciores mensuras recipere.

**917** §. 8. Si nihil sit conventum, an reddenda scilicet  
cadem mensura vel valor attendendus, neque  
initio prævidebatur mutatio valoris, præsumitur  
fuisse mens contrahentium, ut reddatur juxta  
eandem mensuram rei secundùm eandem spe-  
ciem, unde si non reddatur tempore debito, es-  
timari debet ejus valor, non secundùm tempus,  
quo datum est, sed quo redi debuit mutuum,  
ita *Lugo, Pirh. n. 58.*; si autem initio prævideba-  
tur mutatio valoris, præsumi debet voluisse eos  
ut redderetur secundùm valorem & non men-  
suram. Excipe, nisi prævidebatur imminutio va-  
loris, tum enim mutuans hoc ipso, quòd non  
moneret, censetur remisisse & voluisse facere  
beneficium, ac mutuare secundùm naturam plu-  
ri mutui juxta eandem mensuram, uti tenentur  
dem AA., quod non tenet, si prævidebatur au-  
gmentum valoris, nam non debet præsumi de-  
lictum, quo mutuans de hoc non contrahens  
voluisset injustè obligare ad illum excessum.

**918** Q. 157. An sit usura cedere alteri contractum usu-  
varium. *B. Leff. in auct. V. Societas officiorum.* sic ha-  
bet:

bet: *Qui acceptâ pecuniâ ab usurario gravatur usurâ, potest statim cedere contractu in alium id petentem, numerata illi sorte acceptâ & translato in illum onere solvendi usuram.* Econtrâ alii communiter sic limitant, ut tum tantum licitum sit rem sub usuris acceptam cedere alteri sub onere eodem usurorum, quando hoc secundum mutuum verè esset causa damni emergentis vel lucri cessantis mutuatario, si autem non sit causa, non poteris contractum illum transferre in alterum, ideo præcisè, ut te reddas indemnem, alioquin si emisses aliquid supra justum pretium, etiam posses illud eodem pretio revendere alteri, ut te redderes indemnem, ita *Castrop. d. 4. p. 12. n. 2. Tambur. §. 3. n. 6. Pirh. n. 35. Spor. n. 51.* Si dicas cum *Ang. Sa, Mol. Less. l. 2. de Just. c. 20. n. 78.* te non mutuare sub usuris, sed tantum in alterum consentientem transferre obligationem, quam habes, reddendi mutuum sub usuris, *Contra est, nam re vera tu mutuas, acceperisti enim pecuniam, uti suppono, & tu es illius dominus per contractum mutui antecedenter re completum, ergo transferens in alterum re ipsa mutuas.*

*Q. 158. An usurarius acquirat dominium usuræ.* 919

*R. Si mutuatarius non habeat voluntatem transferendi dominium, quia scit se non obligari, non acquirit. Si autem voluntatem habeat,* *Az. Mol. Covarr. Silv. Less. Zoëf. Tambur. Spor. t. 6. c. 4. n. 117. Aliique plurimi cum Laym. l. 3. t. 4. c. 16. n. 7. adhuc dicunt non acquirere, 1. quia non adest ullus justus titulus transferendi, imò cùm talis contractus sit metu gravi & injusto extortus, videtur etiam jure naturæ esse irritus, cùm justitia non possit nasci ex injuria; & huc facit,*

Nn 3

quod